



1. Carporv. i. jas. / Specimen quintum
de Applicatione Methodi Scienti-
ficæ ad theologiam revelatam,
jens.
2. Carporv. i. joh. Bened. / Diff. de
jure deridendi Controversias theolo-
gicas, Lipsie, 1695.
3. Deutschmann i. Abrah. Henr. /
Diff. de Immortalitate et primis
Erlitate Divine Essentia, Witten-
berg, 1692.
4. Gesner i. Salom. / Diff. II. de Exce-
scia triumphante in Coelis,
Wittenberg, 1595.

AN 15^o
HVMILITAS
VIRTVS CHRISTIANORVM
SIT PROPRIA

DISQVIRIT ITERVM

ET AD

AUDIENDAS ORATIVNCVLAS II.
IN SCHOLA CIZENSI

QVAE

D. XXXI. MART. A. C. MDCCL.

AUDITA HORA POMERIDIANA QVARTA

HABEBVNTVR

PATRONOS AC FAVTORES

QVAM POTEST HUMANISSIME

INVITAT

M. IO. FRIDERICVS LEISNERVS

RECTOR,



CIZAE, TYPIS HVCHONIANIS.

HUMILITAS


ULTAS CHINCHENGEN
SI PROFERAT

DEUTERONOMIUM
SACRUM

SACREDIS ORATIONIBUS
IN CENOLA GIBERNAZI

DEUTERONOMIUM
SACRUM

SACREDIS ORATIONIBUS
IN CENOLA GIBERNAZI



On ignoro fuisse, qui mirarentur, ecquid nobis humilitatis laudem genitilismo adstructum euntibus, de voce disputare placuerit, re ipsa omissa. Fuisse eosdem, nos non fugit, qui hoc nobis largirentur, ac darent, obscurius quidem, ac veluti per transennam humilitatem Christianam agnisse gentiles: at nec præcepisse, nec exercuisse. Et si hoc nomine, quædam recte dicta, quæ exciderint illis, laudari possent, facta eorum tamen laudari non posse. Fuisse enim eos in hoc quoque, uti in aliis, lingua magis, quam factis strenuos: veræ autem virtutis studiosos non verbis spectari, sed actionibus oportere. Præterea, tantam esse apud eos penuriam vel præceptorum humilitatis, vel exemplorum, id nemini valde mirum videri debere, quandoquidem caruerint earum rerum cognitione et scientia, ex qua tanquam ex fonte vera humilitas manet. Pene omissemus, quod ad ultimum denique adjiciunt, gentiles quidem moriendi necessitatem, brevitatemque vitæ

identidem sibi proposuisse apud animum, sed ita, ut hancce considerationem, quæ ad studium humilitatis accendendum aptissima esset, pro alimento vitiosarum cupiditatum, irritamentoque luxuriæ haberent. Ecce tibi, L. B. quatuor capita, quæ veluti cornua adversariis addunt, ut frontem nobis obvertant, qui eam laudem vindicandam gentilibus ducimus, quæ posita est in humilitate.

Hi sciant, nos nunc exsequuturos partes, quas non tam omisimus, quam huic tempori reservavimus. Quatuor enim ista, si vel nobis obtrudi pateremur, vel nobis silentibus, aliis; videremur nostri ipsorum, nostrarumque partium obliti. Excuso igitur timore omni, ipsoque erecti vindicandæ æquitatis desiderio, hoc ipsum contendimus, vidisse gentiles aliquam viam, quæ iretur ad humilitatem, deinde studium illius exemplis suis adjuvisse, nonnullis etiam monitis, nonnullis præceptis ad eandem virtutem animos hominum composuisse, denique hanc rationem, moriendum est, ergo vivamus, ergo voluptatibus fruamur, non esse omnium gentilium, sed paucorum.

Ut ab ultimo incipiamus, fatendum est, si quid est ad frangendos hominum animos ac spiritus accommodatum, id esse cogitationem mortalitatis. Sed fatendum est etiam hoc, gentiles eam ipsum ob causam, quoniam sibi moriendum videbant, genialiter esse vivendum, voluptatibusque, et comissionibus indulgendum existimasse. Sic ratiocinatur, ac veluti calculum ponit Anacreon: (a)

Tό σήμερον μέλει μοι,

Τό δ' ἀνέσιον τίς διδεν;

Ως γν̄ ξτ' ευδή̄ εἰν,

(a) Anacreon od. XV.

HG

(V)

Kai πίνε, καὶ κύθευε,

Kai σπένδε Τῷ Διάκῳ,

Μὴ, νέσος ἢν τις ἔλθῃ,

Λέγη, σε μὴ δεῖ πίνειν.

Quibus versibus poeta, quod cras futurum sit, negat sibi curæ esse: nosse enim crastina neminem: excitat deinde se ipsum et alios, hortaturque ad bibendum, ad ludendum alea, ad comisandum, dum ætas et vita sinat: fore enim tempus, quum morbis ingruentibus non amplius bibere possit. Sic rationem dicit Virgilius, seu quisquis auctor est carminis, quod *Copa* inscribitur: (b)

Pone merum et talos: pereat, qui crastina curat:

Mors aurem vellens, vivite, ait, venio.

Sic denique argumentatur Horatius: (c)

- - Sapias, vina liques: et spatio brevi

Spem longam reseces; dum loquimur fugerit invida

Ætas. Carpe diem, quam minimum credula postero.

Quid multa? Sunt plura et apud Anacreontem, et apud Horatium, et apud alios poetas carmina, quorum haec sententia est, quum vita nostra brevis sit, quum multis nec opinantibus mors superveniat, omnes autem sive serius, sive ocyus certissime aliquando opprimat, non esse oblatam occasionem facultatemque jucunde vivendi et voluptatibus fruendi negligendam, aut prætermittendam, aut in longum tempus differendam. Qua turpi ac pestilenti argumentandi ratione nulla vetustior, quippe quæ de antiqui-

tate facile cum ceteris vitiosis concludendi modis certaverit. Eadem nulla magis communis, magis diffusa, cui non modo singuli homines facti fundi sunt, et subscriptores, sed totæ etiam philosophorum familiæ. Questus de ea est jam antiquissimus temporibus divinus vates Esaias, (d) questus est de eadem Apostolus Paulus, (e) et ipse divino adflatu atque instinctu concitatus. Quid ergo est? Evidem omnium hominum, omnium poetarum, qui ita argumentantur, aut loquuntur, causam non suscepimus; nonnulla tamen carmina, quæ paullo impudentius fœdæ voluptatis studio, propter vitæ humanæ brevitatem, patrocinari videntur, interpretatione quadam dixerim mitiganda. Nempe non hoc semper, non hoc omnes agunt poetæ, ut ideo, quia vita cito prætereat, in diem esse vivendum, fœdisque voluptatibus et inhonestis indulgendum, præcipiant, sed hoc potius, ut moneant, unumquemque sua sorte vi- vere contentum oportere, bonisque præsentibus intra modum, et ad præscriptum rationis et legum, uti. Quid querimus? Laudant voluptatem, sed licitam, sed honestam: laudant ea mente, qua sapientissimus regum, Salomon, hilaritatem, qua vitæ hujus commoda, qua voluptatem in edendo bibendoque positam, non refragantibus summis interpretibus, laudat pasim et prædicat. Certe nisi hæc tribuatur sententia quibusdam odis Horatianis, jam Horatius pugnare cum Horatio dicendus erit, utpote qui alibi (f) in eum invehitur, qui brevis vitæ oblitus cupiditatibus ac divitiis studet.

Sed fac, dicta illa poetarum non aliud habere sensum, quam deteriorem, et reprehendendum; quid nisi audacia et iniqüitas non ferenda est, paucorum poetarum philosophorumque vitia in omnes romani, græcique nominis sapientes uno tenore derivare?

(d) Ec. XXII, 13.

(e) I. Cor. XV, 32.

(f) e. g. L. II, od. 18.

derivare? Quos enim ex omni antiquitate, qui dicta illa probent, produxeris, præter formulæ Epicureæ philosophos, qui Deum non concedunt, nisi cœcum et otiosum, nihilque sibi ultra vitæ terminos pollicentur?

Misso hoc gregō circumfer oculos animumque per reliquas philosophorum familias, et occurrent tibi non pauci, quorū animos cogitatio mortis non subit, quin statim, fastu omni posito, ridiculum esse stultumque judicent, rebus quamvis fēcundis insolescere, magnisque cogitationibus pectora implere. Occurret M. Antoninus, qui elationem animi omnem, superbiam omnem, inanis gloriæ studium omne damnat, ductis argumentis non modo a vulgi inficitia, in cuius suffragia et plausus tam multi ambitiosi sunt, a terræ exiguitate, quam tam multi se laudibus impleturos sperant, sed etiam ab angustia terminorum, quibus vita nostra circumscripta est. (g) Occurret magnus ille Alexander, qui ex diuturno morbo ut convaluit, *nobiscum pejus attum, inquit, non fuit.* Admonuit enim nos *egritudo, mortales quam simus, ne magnifice de nobis sentiamus.* (h) Occurret denique Sosiphanes poëta, cuius hæc sunt verba apud Joannem Stobæum: (i)

Αὐτὶ δὲ ἐντυχεῖτε μηδὲν ὄψεις, ἐνθέως
ἴστ' ἐρανῷ Φεονεῖτε, τίνδε κύζιον
Αὐδην παρεσῶγετε πλησίον

*Ut primum aliqua fortuna vobis adfulget, homines nibili; illico
Ad celum caput erigitis, interea dominum
Plutonem adstantem non videtis proxime.*

(g) M. Aurelius Antoninus de se ipso ad se ipsum III, 10. IV, 5. XII, 32.

(h) Jo. Stobæus in Eclogis serm. 45, §. 261. (i) in Eclog., p. 132.

(VIII)

Quos versus poetæ num alio spectare dicemus, nisi ut ii, qui rebus secundis utuntur,
proposita mortalitatis cogitatione ab arrogantiâ revocentur?

Jam cum illis mihi res futura est, qui quenquam gentilium præcepisse humilitatem negant, qui profecto lacescant me magis, quam exercent. Nam ut horum iectus quam sint hebetes, quamque invalidi, ostendere possum, permulta profecto in expedito sunt. Ablegabo eos primum ad Joannem Stobæum, (1) deinde ad Petr. Dan, Huetium, (m) quorum alter in Eclogis suis, alter in Alnetanis Quæstionibus magnam auctorum profanorum veluti nubem profert, studium humilitatis qua laude, qua præcepto commendantium. Monebo eodem, ut magni nominis Theologum audiant, Jo. Franciscum Buddeum, qui in Introductione ad Philosophiam Stoicam ex mente sententiaque M. Aurelii Antonini Imp. (n) hæc scribit: *Licet contemtus fui, humilitasque virtus Christianorum sit propria, commendatur tamen quandoque et ab ethnicis, et cumprimis a Stoicis subinde inculcatur.* Non modo enim omnem a nobis abesse volunt arrogantiam, sed subinisse etiam sentire de nobis, factisque ac dictis opinionem hanc demonstrare. Ex hac autem demissione fui, abjectaque opinione oritur gloria et popularis famæ despectio, vel quasi vane et vitiöse, vel quasi nihil ad nos pertinens. Probata est hæc sententia Pythagoreis, Platonicis, Cynicis, aliisque. Probata cumprimis fuit Stoicis nostris &c. Præsentio, ex prærogativa Buddeani testimonii permultos esse judicaturos, humilitatis studium omnino a gentilibus commendatum fuisse. Itaque non est, cur de eo religiosius demonstrando, magnopere laborem.

Unum

(1) in Eclog. serm. 43. p. 150. sq.

(m) Huet, Alnetan. Quæstion. III, 8. p. 261.

(n) Sed. VII, §. 1. p. III.

(IX)

Unum facere non possum, quin adponam, utpote illustre praeceptum, et ab Huetio praetermissum, quod est apud Sophoclem in Ajace Mastigophoro: (o) ubi quum Ulysses dixisset:

Ορέω γαρ ήμας ἐδὲν ὕγιας ἄλλο πλήν
Ἐιδωλ' ὅστοιπερ ζῶμεν, η̄ μέΦην σκιά.
Video, nos nihil aliud esse, quam
Simulacra, quicunque vivimus, et levem umbram.

poeta Minervam ita facit respondentem:

Τοιᾶσθα Τοινυν ἔστορῶν, ὑπέρηκοπον
Μηδέν ποτ' εἴπης αὐτὸς εἰς Θεάς ἔπος,
Μηδ' ὅγνον ἀρῆς μηδέν, εἰ Τινος πλεύση
Η̄ χειρὶ θείεις, η̄ μακρὸς πλεύσε βάρες.
Ως ήμέρα ηλίους ή κανάγει πάλιν
Απαλῆς ταῦθεώπεια. Τές δὲ σώφρονας
Θεοὶ φιλεῖσι, καὶ συγγόσι Τές κανές.

Hæc igitur intuens, elatum
Nullum unquam dixeris ipse in Deos dictum;
Neque tumore eleveris ullo, si quo plus
Vel manu polles, vel magnarum opum pondere;

B

Quippe

(n) Sophocl. Ajac. v. 125.

Quippe dies deprimitque et attollit denuo,

Omnia humana: modestos vero

Dii amant, et detestantur pravos.

Ad hunc locum Sophoclis veteres Grammatici, quæ vis sit et significatio vocis *σωφρων*, non videntur satis expedire. Exponunt enim *σωφρονας* per τὸν ἀριθμὸν μεταχειρίζομένες; nimis laxe. Σωφρόνες apud profanos auctores interdum iidem sunt, qui apud sacros Τάπεινοὶ; et σωφροσύνη idem, quod ταπεινοφροσύνη. Generatim σωφρονῖς est sana mente esse, recte judicare, recte de rebus sentire: speciatim recte sentire de Deo, de suis viribus, de suis infirmitatibus. Porro, quem illius, qui recte de se, de suis viribus et infirmitatibus judicat, non sit superbire, non vel dictis se, vel factis efferre, τὸ σωφρονῖς tribuitur humilibus, modestis, animique demissione studenteribus. Menti sanitatem quando quæsto rectius, quando tutius tribuas, quam ubi judicium illius de rebus divinis, de se et aliis, de suis infirmitatibus et viribus est rectum. Sed hocce rectum de nostris viribus nostrisque infirmitatibus judicium est aut ipsa humilitas, aut humilitatis certe fons et origo. Hinc apud Platonem Socrates ήν σωφροσύνη ponit in cognitione tam nostra ipsorum, quam aliorum. In Alcibiade Primo Socrates, τὸ δὲ γνώσκειν αὐτὸν, inquit, ὄμολογόμεν σωφροσύνη εἶναι. In Εραστᾷς autem prope finem: Ή ἐπισήκυν, ή διαγνώσκειν καὶ ἔαντον, καὶ ὅπλον ἐπιστρέψθα, σωφροσύνη εἶναι'. Scholiares Aristophanis ad Plutum (o) τὸ σωφρονῖς expōnit καλῶς καὶ ἀληθῆ λέγεν. Recte. Sed adde, καλῶς καὶ ἀληθῆ νοεῖν. Hinc nobis ad ipsas sacras literas interpretandas lux adfulget, ut τὸ σωφρονῖς in loco Pauli

Rom.

(o) Schol. Aristoph. ad Plat. v. προ.

Rom. XII, 3. rectius intelligi possit. Verborum Pauli haud dubie hæc sententia est:
Jure apostolice auctoritatis a Christo mibi demandatae hortor omnes, qui inter vos vivunt, ne supra modum se se extollant, sed ut modeste de se sentiant pro magnitudine fidei, donorumque a Deo acceptorum. Non male ad hunc locum Ioannes Chrysostomus Ἰὸ σωφρονῖν esse apud Apostolum monet ἡνταπεινοφροσύνην. Eodem sensu Ἰὸ εὐφρονῖν ab Isocrate adhibetur apud Clementem Alexandrinum. (p) Eant nunc et videant, qui cum Paulo concilientur, quicunque humilitatem cerni sibi persuadent cum Christiano Thomasio, (q) in promta voluntate se ipsum penitus contemnendi, leque ceteris hominibus omnibus quam longissime postponendi. Porro meminerimus, profanos scriptores de humilitate loqui, non solum, quando mentionem ἡταπεινότητος faciunt, sed etiam quando σωφροσύνης, immo quando ἀλυφίας et μεγόληπτος.

Missa hæc facio: illud jam quæram, an quæ gentiles de animi demissione præceperunt, ea agendo confirmarint, et quemadmodum eam virtutem laudarunt, ita coluerint, vitæque ratione expresserint. Hic agmen ducat Amphiaraus, cui istam laudem, qua vix esse major et magnificentior potest, Æschylus in Septem contra Thebas tribuit (r)

Οὐ δοκεῖν ἀπιστος, αὖτις εἶναι θέλει.

Non optimus videri, sed esse vult.

(p) Clemens Alex. Strom. V. p. 581.

(q) Thomas, in der Einleitung der Sitten-Lehre §. 56.

(r) Æschyl. in Septem contra Thebas v. 598.

Qua laude si dignus Amphiaraus est, merito nobis admirationi est. Nam sic virtuti operam dedit, operam tamen dedit videri noluit: sic virtutem sublata etiam laude, sublatis omnibus præmis, amplexus est; sic denique magnum et illustre humilitatis exemplum dedit. Si hoc, utpote ex fabulis petitum nihil ducis, accipe aliud ex historia, cuius hic ipse Amphiaraus admonere te potest, exemplum videlicet Aristidis. Plutarchus in hujus vita tradit, (s) quum ille ipse versus cum duobus, qui apud Æschylum sequuntur, fuisse in theatro recitatus, omnes omnium oculos in unum Aristidem fuisse conjectos, quasi huic uni optime convenientem. His libenter subjicerem, quæ de septem sapientibus, horumque laudabili moderatione auctor non unus tradit, quum notissima illa controversia de aurea mensa a pescatoribus Milesiis inventa, fuisse orta, eaque inexplicabilis videretur, placuisse Milesio populo Apollinem Delphicum consuli, cuinam adjudicari aurea mensa deberet. Deum respondisse, illi esse dandam, qui sapientia ceteris præstaret. Tum Milesios consensu Thaleti mensam dedisse: Thaletem cessisse eam Bianti, Biantem Pittaco: hunc protinus alii, deincepsque per omnium septem sapientum orbem, ad ultimum ad Solonem pervenisse. Hunc et titulum amplissimæ sapientiae et præmium ad ipsum Apollinem transtulisse. (t)

Libenter, inquam, hæc subjicerem, sed quia quædam sunt, quæ narrationem hancce redditur incertam, eam in medio relinquo. Interim illa, seu vera sit, seu ficta, argumento est, gentiles humilitatis fuisse si non cultores, tamen laudatores.

Succedat

(s) Plutarch, in Aristide p. 586ⁱ

(t) Val. Max. IV, 1, c. 6

(XIII)

Succedat igitur Pythagoras, qui sapientiae nomen augustinus ratus, quam ut
in hominem cadere posset, contentus, philosophum se dici, detrectavit titulum sapi-
entis. Laudarunt hoc Pythagoræ factum tanquam modestie et humilitatis specimen
gentiles, atque ex his nominatim Heraclides apud Laertium (u) et apud Ciceronem:
(x) laudarunt etiam doctores Christiani. Audi Lactantium: (y) *Verecundie causa*
studioſos se sapientia, non sapientes vocaverunt. Imo vero Pythagoras, qui hoc primus
nomen invenit, quum paullo plus saperet, quam illi priores qui se sapientes putaverunt,
intellexit, nullo humano studio posse ad sapientiam perveniri: et ideo non oportere incom-
prehense atque imperfectæ rei perfectum, nomen imponi. Neque aliter de modestia
Pythagoræ sensit Augustinus. (z)

At o famæ inconstantiam! dejicitur de gradu Pythagoras, et qui humilitatis
laudem veterum non minus Christianorum, quam gentilium quasi punctis et suffragiis
obtinebat jam diu, in eum recentiores quidam Christiani tam sunt acerbi, ut hoc non
animi ejus demissioni, sed superbiae adsignent, quod philosophum se, quam sophum
adpellari maluerit. Sapientes ajunt Pythagoræ ætate dictos fuisse, quicunque aliquam
artem scirent, etiam architectos, et gubernatores. Veritum idcirco Pythagoram, ne
sua sapientia fama in tanta sophorum turba in obscuro esset, pertæsumque adpellatio-
nis, quam usus nimis vulgasset, atque ad artifices fellularios, ipsumque opificum vul-
gus transtulisset, simul querentem tegumentum superbiae, nomen adscivisse specie mo-
destius, re ipsa majus et venerabilius. Tam parata, tam ingeniosa simul invidia est

B 3

ad

(n) Diog. Laert. Proem. n. 22.

(x) Cic. Tusc. Qu. V, 2.

(y) Lactant. Instit. III, 2.

(z) Augustin. de C. D. VIII, 2.

ad virtutes ipsas invertendas, et tanquam ad vasa incrustanda etiam sincera. Interim adversus hanc ambiguitatem opinionum tanquam fluctuum, quibus Pythagoræ fama in utramque partem jactatur, quid opponas? Evidem hoc solummodo dicam, istos Pythagoræ accusatores, qui de occulta ejus voluntate intimisque sensibus pronunciare audent, non multum nobis negotii exhibituros esse, si vellent hoc loco tanquam in judicio calumniam jurare, sique, quam gravis sit sententia animique seu boni seu mali pro altero obligatio, satis perpenderent. Cujus quæsto ingenii humani acies est tanta, quæ penetrare in arcana hominum consilia, animique recessus posit, etiam eorum, quorum nec corpus, nec vultum, nec frontem, nec oculos intueri datur? Quis callet occultam istam, et mysticam velut haruspicinam, cuius est, non animantium exta scrutari, sed hominum corda mentesque introspicere? Apage igitur istas strophas, quibus tam multi aliorum famam labefactare frustra conantur! Quid enim, si suis Christianos artibus gentiles peterent? Cujusmodi incertis opinionibus suspicioribusque si quis locus relinquitur, jam neque Simonidis, neque Socratis, neque omnino ullius hominis modestia humilitasque in tuto est. Non Simonidis, inquam, de quo ita Cicero: (aa) *Simonides a tyranno Hierone rogatus, quid aut qualis esset Deus, deliberandi causa sibi unum diem postulavit: cum idem ab eo postridie rogaretur, biduum petiit: cum vero sepius duplicaret numerum dierum, admiratusque Hiero quereret, cur ita faceret: quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mibi res videtur obscurior.* Recte, mihi Simonides, humani ingenii imbecillitatem agnoscis: recte divinam naturam ulla cogitatione te assequi posse desperas: recte denique, frustra eos esse, animadversus, qui nimis alta timari audent, et æternis minorem consiliis animum fatigare.

Quanto

(aa) Cic. de Nat. D. I. c. 22.

Quanto tu verecundior permultis Christianorum es, quos etiam atque etiam juvat, velut majores nido penas extendere, ac disputare de arcanis Dei, de providentia decreta, et aliis quam plurimis rebus abditis, quas vix sciunt sejunctæ a mortali concretione mentes.

Jam vero ad Socratem accedam, qui quantum omnibus græcis romanisque philosophis reliquarum virtutum, tantum humilitatis studio pariter et exercitio superior est. Hujus est illud modestè dictum, *se nihil scire, nisi id ipsum.* (bb) Nimirum scientiam suam comparando, non cum scientia aliorum hominum, sed cum tota rerum natura, cuius immenitatem, infinitatemque animo cernebat, eo tandem pervenit ut scientiæ sua modulum cum ea collatum perexiguum esse, vel potius nullum facile intelligeret. Hæc est illa humanæ infirmitatis agnitus, hoc illud modestiæ specimen, quod tam præclarum hocce, quam decantatum testimonium fertur ipsi Apollini expressisse, quo Socrates omnium sapientissimus est judicatus, (cc) Jam illud quantum est humilitatis Socratiæ modestiæque argumentum, quum mortales scire negavit, quænam preces et quales ad Deum fundenda essent, quumque futurum aliquando esse prædictit, ut de cœlo aliquis delapsus, quomodo sit orandum, quæ precum quæ carmina sint concipienda, homines doceret. Huc spectat totus Platonis Dialogus, qui Alcibiades Secundus inscribitur. Mitto multa alia, quæ animi se ipsum demittentis laudem eidem adstruere possunt, ut, quum *θεῖα μοίην divina sorte contingere* virtutem hominibus docuit, (dd) quum artem imperandi hominibus, iisque volentibus,

majo-

(bb) Cic. Acad. Qu. I, 4.

(cc) Cic. I, e.

(dd) v. Aeschini Socratiæ Dialogus

Ἵστι δέ την, εἰ διδαχήν.

(XVI)

majorem esse dixit, quam ut possit a solis humanis esse viribus; (ee) quum in aliorum scriptis judicandis circumspectione usus est plena modestia, quam in nostræ etatis literatis quam plurimis nequicquam quæras. Nam interrogatus aliquando, quænam ejus sententia de scriptis Heracliti esset: *que intellexi, inquit, bona sunt: puto et ea, que non intellexi.* (ff) His adde, quæ Plato habet, Socratem in disputationibus ita versari solitum, ut inferior potius cuperet, quam superior discedere: adde etiam, id quod vulgo notum, eundem in docendis aliis hanc rationem sequi solitum, ut instrui potius ipse ab aliis, quam instruere alios videretur. Quæ omnia qui quæstuis potes cogitationibus subjecere, quin tuus exemplo gestiat animus laudem tribuere Socrati, laudi illi simillimam, quæ in Amphiaraum ab Æschylo, in Aristidem ab Atheniensi populo collata est:

Οὐ δοκεῖ σοφός, αἷλ' ἔναγ θέλει.

Verum de exemplis plura memoravi, quam animus cerebat. Quanquam res est ejusmodi, ut etiam, qui nimium dicit, non tamen omnia dicat. Abducendus ergo ab eorum contemplatione animus: nondum tamen a Socratis. Socrates et ipse in medium prodeat, et his evellat scrupulum, qui non nihil ambigunt, attigerintne sapientes gentilium earum rerum cognitionem, unde humilitas derivatur, nec ne. Nam si humilitas nascitur ex comparatione tenuitatis nostræ cum infinita Dei virtute, quænam schola veterum philosophorum, quam Socratica, personuit vocibus ad de-

mon-

(ee) Xenopk. Oecon. cap. ult. l. fin.

(ff) Diogenes Laert. II, 22,

monstrandam Dei magnitudinem, juxta humanamque infirmitatem aptioribus? Hæc docuit, Deum esse unum, esse opificem totius mundi, rerumque omnium progenitorem et auctorem: esse immutabilem, æternum, naturæ incomprehensæ, omnium rerum ita scientem, nullum ut cœlum: facinus, facintus autem? ut ei ne cogitatio quidem hominis ulla incognita sit: immunitæ denique potentia, causamque omnis boni mali nullius. Infirmitates humanas autem quin eadem schola agnoverit, quis dubitare poterit, qui, quæ Socrates apud Aeschinum profert in Dialogo de morte, legerit? (gg) Socrates idem ille quam parum probitati hominum, virtutique dederit, illud argumento esto, quod tanquam vates cecinit, si quis vir optimus, qui omnes iustitiæ numeros impleret, de cœlo delapsus in his terris versaretur, cum eo tam male, tam atrociter actum iri ab hominibus, ut in carcerem compactus, ludibrio habitus, verberatus denique et flagris cæsus in crucem ageretur. (hh) Si porro humilitatis comparanda rectam viam inire eos concedis, qui se ipsos cognoscere student, quomodo aditum ad eam laudem gentiles prohibebis peræque omnes, quomodo in primis discipulos Socratis, cuius ex ore nihil fere frequentius exiit, quam quæ

Aurea de cœlo cecidit vox, Γνῶθι σεαυτὸν.

Quam vocem non tantum in eam partem interpretari veteres solebant, ne

quis bona sua ignoraret, sed etiam in eam, ne quis vitia. Cicero ipse Quintum fra-

Consequently, the main problem in the field of education is to find a way to make the educational process more effective.

(hh) Plato L. II. de Rep.

(XVIII)

trem (ii) admonet, ut illud Γνῶθι σέαυτὸν putet esse et ad arrogantiam minuendam dictum, et ut bona nostra meminerimus,

Si qua est hominum infirmitas, cuius cognitione, quicquid et quantum est gentilium, caruerunt, ea hæc est, quæ ex primæva naturæ labo manavit. *Enimvero etiam si hanc ignorarunt homines non Christiani, eo tamen pars eorum fuerunt acutum, ut ex humanæ naturæ conditione judicarent, insontem non posse hominem esse, qui tot laboribus, tot curis, tot ærumnis, ab ipsis vitæ primordiis, additus esset.* Hinc fluxisse permultis videtur opinio illa vetus de animarum περὶ πρώτης: hinc commentum quoque μετενσωματώσεως originem traxisse credibile est.

Sed vela tandem colligamus, si ante illud unum Te, Lector Benevoli, mouerimus, nos humilitatem gentilium trutina, non theologica, sed philosophica examinandam duxisse,

Per isthac postquam prolusum est, nominandum restat par juvenum lectissimum

CHRISTOPHORUS GOTTLÖB DE BURGSDORFF

EQUES MISNICHUS,

JOANNES CAROLUS TISCHERUS, CIZENSIS,

qui virium suarum periculum in hac schola facturi, nulla omissa diligentia, nullo labore, aut studio, quod publica experimenti ratio postulare videatur, orationes habere

(ii) Cic, ad Quintum fratrem III, 6.

constituerunt. Alter demonstrabit, neglegitum minutiarum paullatim ad magna incommoda trabere: alter in diligentiam literatorum inertem declamabit. Utique quamcunque, et qualemcumque expectationem sui concitarunt, quæ merito magna est et egregia, eam haud dubitabunt ac tuebuntur. Usque eo spectati cognitique et ingenii, et diligentiae, et proficiuum uterque est vestrum! Juvat enim, ut jucundiorum mihi prolationis hujusce conclusionem faciam, juvat, inquam, vos alloqui ipsos. Quodsi, quemadmodum ex aurora, primoque diluculo totius diei ratio et natura fere dignoscitur, ita in prima ætate se hominis natura prodit; quantum uterque vestrum sit aliquando valitus, ingenium vestrum indicio est, in ipso ætatis flore exceptum, et ad laudabilia quæque promptum. Itaque Te, Generosissime Burgsdorffii, præstitorum præclara, multis praesagit animus, Te ipso scilicet digna, et familia Tua, in qua vides heroas permultos et heroinas gloria circumfluentes, virtutis cultu studioque insignes floruisse, et adhuc dum florere, et utiliam diu florentem videoas! PERILLUSTREM GENITOREM, SEXUM QUE ALTERUM summis virtutibus parem, et in omnis virilis laudis societatem venientem. Adeo quicquid oculis Tuis quotidie objicitur, quicquid auribus occurrit, in commoda Tua mirifice conspirat, et ad laudis alios super alios stimulos tibi admovendos comparatum est velut, si in ipsius finu Virtutis nutritore. Maecte hac felicitate! quumque alios, a quibus ætate vinceris, laude vincas, Te ipsum, ut coepisti, perge vincere.

Neque tibi, eximie Tischere, domestica exempla desunt, quæ si indefinenter respicere, indefinenter sequi volueris, et ipsa te incitabunt, coque perducent, ut præclaræ Tua in remp. esse merita aliquando possint.

Faxit Deus, ut hanc consentientem opinionem auguriumque de vobis quam plurimorum, exitus comprobet! Nominandus supereft juvenis et ingenii et diligentie nomine commendandus, *Io, Fridericus Vorsaz, Zorbensis*, qui partes Auditorio gratias agendi aget,

Ad has orationes benevole audiendas Musarum nostrarum Antistites, Patronos et Fautores quam officiosissime, et quam humanissime invitatos volo.

Scrib, Cizæ ix. Kal, April, A. C. iiii mccc li.



00 4 6466

ULB Halle

002 937 239

3



5b.

VO 17 Fe. 74.
Rhein

B.I.G.



AN 15¹

HVMILITAS

VIRTVS CHRISTIANORVM SIT PROPRIA

DISQVIRIT ITERVM
ET AD
AVDIENDAS ORATIVNCVLAS II.
IN SCHOLA CIZENSI
QVAE
D. XXXI. MART. A. C. MDCCL.
AVDITA HORA POMERIDIANA QVARTA
HABEBVNTVR

PATRONOS AC FAVTORES

QVAM POTEST HUMANISSIME
INVITAT

M. IO. FRIDERICVS LEISNERVS
RECTOR.

CIZAE, TYPIS HUCHONIANIS.